



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Provinciæ Paraquariæ Societatis Jesv

Techo, Nicolas

Leodii, MDCLXXIII.

Cap. 46. Lauretani & Ignatiani transmigrant.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38528

in utroque Musicorum odæ instruxerat, nihil admodum ab Eutopæis differentia. Nec satis jam distinguere Neophytorum mores à politicis dudumque cultis populis. Boum, & aliorum animalium domesticorum greges, Sociorum immenso labore per ducentas leucas advecti, aliquo proventu ali cœperant. Incolæ gossipii & cæteræ sementis satis habebant, quo se non tantum decenter vestirent, sed etiam quo multa in Hispanorum levamenta mitterent. Quæ omnia Neophytos non parum retardatura videbantur ab transmigrationis consilio, consideraturos rerum omnium abundantia brevi immensas misèrias cum perpetuo exilio successuras. Occurrebat plerisque iter centum & triginta leucarum, per summa pericula metiendum, antequam eò pervenirent, quò duci jubebantur. Nec satis sibi persuadebant infantes, mulieres, ægros & senes, commeatu mox carituros, cum viri ad tam remota loca per immane præcipitium & solitudinem pervenire posse. Ex aliâ tamen parte urgebant hostes, præter corporum durissimam servitutem animarum perniciem plerisque allaturi. In medio tantorum malorum deprehensi, ut erant longo doctrinæ usu instructi, uno omnes ore Ruisio & Sociis, quocumque vellent, se ituros spondent; fidem per eos à Deo accepisse, per eosdem in eâ foveri se velle: si fame aut fatigatione mori suos viderent, eâ se cogitatione solaturos, quòd pro conservandâ religione morti se suosque certo periculo exposuissent: Deo curæ futurum suæ pietatis præmium. Non esse iis defendam ciborum penuriam, qui saturitatem corporum, animarum cibo ab Sacerdotibus suis ministrando posthaberent. Se itaque non tantum volentes, sed alacres, quocumque ducerentur, ituros.

ANTONIUS Ruisius præsentis animorum alacritate utendum ratus, convalescentiam imperat. Vidisses concionatorum suggesta, exhomologeteria, baptisteria, & aliâ templorum ornamenta, prolixâ industriâ ab Sociis elaborata, momento temporis deturbari, Divorum signa arcis includi, quidquid commodè potuit ratibus, quas ballas hic vocamus, imponi. Illato commeatu, postquam Divæ Virginis icon miraculis clara, & elegantissimum pueri JESU signum impositum est, nemo fuit, qui non se exulem lubenter futurum cum talibus comitibus profiteretur. Igitur majori alacritate quàm exules solent conscendentes, secundo Paranapanæo, patriam nunquam aliâs visuri deserunt. Lentè admodum navigabant, ne quas rates post se hostibus relinquerent. Emenso Patanapanæo, per Paranam deinceps remigantes, nequicquam reluctantibus urbis Regalis civibus, non admodum infeliciter ad proxima magno præcipitio loca pervenere. Ubi eos in opposito littore præstolabantur Indi, illi omnes, quos ex destructione aliorum oppidorum confluisse narravimus. Ex Lauretano oppido nongentas familias; ex Sancti Ignatii octingentas transmigrasse, Simon Maçeta testis ocularis affirmat, præter quem numerum quadringentæ familiæ Lauretanis & multæ aliæ se adjunxerant. Quot ex aliis oppidis ad præcipitium pervenerint, non facillè dixerim, Sociis, qui transmigratori interfuerunt, infinitè de numero variantibus. Illud securius asseruero, immenso dolore Socios omnes pænè obrutos fuisse, considerantes, quot Neophytorum millia ex tredecim coloniis prædæ Mamalucis cessissent, aut se antiquis latibulis occultassent. Præterquam jacturam lamentabantur tot Ethnicorum millia in Guairaniâ abs se deseri, sine spe illos adjuvandi, aut dissipatos Neophytos Catechumenosque recuperandi.

POST QUAM dolori utcumque indultum est, Socii egere de transmittendo præcipitio, quo deinde, secundo Paranâ, tot capitum millia ad destinatum locum septuaginta adhuc leucis distantem transportarentur, ne Mamaluci has populorum reliquias sibi etiam vindicarent. Nam triduo postquam Lauretani & Ignatiani navigare cœperant, nunciatum fuerat, prædonum cohortes vacua oppida ingressos fremuisse, & ob delusos conatus suos ulteriorem perniciem fuisse interminatos. Sed non satis apparebat, quibus navigiis post præcipitii descensum tanta multitudo exciperetur; vix enim sperabatur, ex tanto numero navigiorum aliquot naufr-

*Forum oppi-
dorum Lau-
retani.*

CAPUT
XLVI.
Lauretani
& Ignatiani
transmi-
grant.

*Numerus
transmigrã-
tium.*

CAPUT
XLVII.
De conti-
nuâ transmigrati-
one consilia ca-
piuntur.